

2865. TO BONIFACE AMERBACH.

Basle MS. AN. III. 15. 52.
Q. 82.

(Freiburg.)
31 August 1533.

[An original letter, autograph throughout.]

S. Reditum in Brabantiam distulimus in proximum ver. Ita tulit necessitas, et vt arbitrator expedit. Nam mutato vino, stomachus cepit reuiuiscere, hactenus pro vino bibi venenum.

Liuius meus, qui nihil vnquam gessit ex animi mei sententia, adduxit mihi ab Episcopo duos equos e quibus alterum eligerem. Iam accincto ad reditum nuncio mane, dixit gradarium claudicare. Dimisso nuncio, claudicauit et alter, qui mihi nunc est oneri. Vtinam Deus liberet me ab illo nugone!

De testamento quo magis studui me explicare, hoc magis inuoluor. Efficiam tamen, ne omnia veniant in manus predonum, si quid mihi acciderit. Qua de re scribam tibi, si Gilbertum meum istuc misero, quod nondum statui.

Sadoletus misit ad me proprium nuncium cum libro, quem vult a me castigari. Perlegi, et feci [et feci] quod voluit. Eundem cupit et abste legi. Poteris degustare et probare. Epistola illius ad te fuit inclusa. Nuncius putauit te hic viuere. Idem suspicari videtur Sadoletus. Male audit Basilea. Significaui tamen illi te isthic necessariis compedibus detineri, purum tamen ab omni sectarum contagio. Hoc enim de te mihi persuadeo.

Miror nihil mitti e Basilea. Si libellus de Concordia ecclesiae excusus est, mitte Sadoletu; si prope absolutus est, mitte quod est excusum.

Si velis nuncium isthic retinere vnum atque alterum diem, hoc per Sadoletum licet, donec scribas et librum degustes.

Iussi vt hic nuncius iret per Nouumburgum, si forte illic esses. Ne frustra sit.

Mitto ad te Epitaphium Thomae Mori, quod affixit suo sepulchro. Editurus eram cum aliquot epistolis, sed Emmeus dedit verba. Id si voles, describes tibi, meum exemplar mittes Sadoletu. Id enim memini in litteris.

Lugduni Hilarius Bertulphus peste funditus periit, hoc est ipse cum vxore ac tribus liberis. Cetera scribam per Gilbertum meum, aut reseruabo in colloquium. Cura vt recte valeas.

Prid. Cal. Sept. 1533.

Erasmus Rot. tuus.

Clariss. viro D. Bonifacio Amerbachio. Basileae.

5. Episcopo] Christopher of Stadion; cf. Epp. 2856, 2868.

9. testamento] See Ep. 2754. 7n.

13. libro] Sadoletu's commentary on the Epistle to the Romans; see Ep. 2816 introd.

17. Male audit] Erasmus means that Basle has a reputation as a hotbed of the Reformers.

20. libellus] See Ep. 2852 introd.

28. Editurus eram] Erasmus pub-

lished More's epitaph (not with Emmeus but with Froben) together with More's letter (Ep. 2831) and other letters in the *De praeparatione*, <c. Jan.> 1534.

30. litteris] Not extant. It was presumably carried by the messenger sent on 26 July; see Ep. 2850.

31. Bertulphus] See Epp. 1257. 13n, 2581. 14-20.